

Continent hor

DISSERTATIO

DE

TRISTITIA  
POENITENTIVM DIVINA

II CORINTH. VII. 9. IO.

QVAM

PRAESIDE

IO. GEORGIO WALCHIO

THEOL. DOCTOR. ET PROFESS. PRIMARIO SERENISSIMOR. SAXON  
DVCVM ET MARGGRAV. BRANDENBURG. ONOLD. A CONSIL. ECCLES.  
ET CONSISTOR. CONCIL. ARCTIORIS ADSESSORE CIVIVM IN HAC  
ACADEMIA MEINVNG. GOTHANOR. ALTENBURG. ET ONOLDIN. IN-  
SPECTORE ACADEMIAE ET ORDINIS THEOLOGORVM SENIORE  
H. T. DECANO.

D. 2. AVGVST. MDCCCLV.

AD PVBLICAM ERVDITORVM DISQVITIONEM EXHIBET

AVCTOR

IOANN. IMMANVEL SCHAEFFERVS

RATISPONENSIS

SANCTIORVM LITTERARVM CVLTOR.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

DISSERTATIO

DE

TRISTITIA  
FOENITENTIVM DIVINA

II CORINTH. VII. Q. II.

1754

PRÆFATIO

IO. GEORGIO WALCHIO

THEOL. DOCTOR. ET PROFESS. PRIMARIJ THEOLOGICÆ ACADEMIÆ  
DUCUM ET MARCGRAV. BRANDEBURG. BONAË. CONSIL. PUBL. ET  
IN CONSISTOR. CONSIL. APOSTOLICIS APOSTOL. S. SEDE. IN AUSTRIÆ  
ACADEMIÆ NEAPOLITANÆ. CATHEDRÆ THEOLOGICÆ. ET ORATOR. IN  
SPECTOR. ACADEMIÆ ET CATHEDRÆ THEOLOGICÆ. S. SEDE. IN AUSTRIÆ

H. T. DELAUX.

D. S. APOSTOL. S. SEDE. IN AUSTRIÆ.

AD PUBLICAM ERUDITIONEM INSERVANDAM EXHIBET

ACTOR.

IOANN. IMMANUEL SCHNEIDERUS

PASTOR. IN AUSTRIÆ.

RECTOR. ACADEMIÆ ET CATHEDRÆ THEOLOGICÆ. S. SEDE. IN AUSTRIÆ.



IN AUSTRIÆ LITTERIS SCHNEIDERUS



SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAE ET AVGVSTAE REIPVBLICAE  
RATISPONENSIS

INCLVTO SENATVI  
DOMINO CAMERARIO  
CONSVLARIBVS

CAETERISQVE

SENATORIBVS  
VIRIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS

STRENVIS PRAENOBILISSIMIS

PRVDENTISSIMIS AMPLISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

PATRIBVS CONSCRIPTIS  
DOMINIS MVNIFICENTISSIMIS  
PATRONIS SVMMA PIETATE  
COLENDIS

SAACI ROMANI IMPERII  
LIBERAE ET AVGVSTAE REIPVBLICAE  
RATISPOVENSIS

INCLVTO SENATV  
DOMINO CAMERARIO  
CONSVLARIBVS  
CANTERISQVE

SENATORIBVS  
XIIIS

ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
SERENISSIMIS PRINCIPIBVS  
PRAESIDENTISSIMIS ACADEMIIS  
EXCALLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

PATRIBVS CONSCRIPTISS  
DOMINIS MUNIFICENTISSIMIS  
PATRONIS SVMMAE PIETATE  
COLENDIS

VIRI  
ILLVSTRES ATQVE MAGNIFICI  
STRENI PRAENOBILISSIMI  
PRVDENTISSIMI AMPLISSIMI  
EXCELLENTISSIMI CONSVLTISSIMI  
PATRES CONSCRIPTI  
DOMINI MVNIFICENTISSIMI  
PATRONI SVMMA PIETATE  
COLENDI



**O**ffero VOBIS, PATRES CON-  
SCRIPTI, *has laborum academico-  
rum primitias, exiguas quidem; nec  
tantorum VIRORVM conspectu  
satis dignas; pietatis tamen et deuoti animi testes  
ex castissima mente profluentes locupletissimos.  
Hec enim omnino officii, quo ego obstringor, præ-*

*cupia pars est, ut, quantum VOBIS, PATRES  
PATRIAE, debeo, non Patriæ clarissimæ so-  
lum; verum etiam vniuerso terrarum orbi, si fieri  
posset, significem. Ex quo iussu nutuque VE-  
STRO benignissimo Ienam, illustrem musarum Sala-  
narum sedem, ut ibi ad sanctiores disciplinas in-  
cumberem, petii: omnes intendi neruos, ut, quæ  
VESTRA est voluntas beneuolentissima, studio-  
rum academicorum rationem redderem; ea potissi-  
mum ratione, quum stipendio largissimo sustenta-  
tus eo facilius finem, quem, diuina aduente cle-  
mentia, mihi proposui, prosequi possem. Hac VE-  
STRA munificentia et benignitate, PATRES  
CONSCRIPTI, non mihi solum, minimo IL-  
LUSTRIVM NOMINVM VESTRO-  
RVM cultori; sed meis quoque, qui in academiis  
studiis elegantioribus operam nauant, conterraneis  
frui licet. Vniuersa VESTRA Respublica, Pa-  
tria mea carissima, omnesque, quotquot honestioris  
indolis sunt, ciues abundantissimos amoris VE-  
STRI paterni fructus experiuntur, quorum uti-  
litati*



litati, emolumentis et saluti sempiternæ cura *VE-*  
*STRA* vigilantissima prospicit. Hinc laudes  
*VESTRÆ*, præsertim sanctimonia et singula-  
ris erga musarum cultores fauor in exteris pro-  
uinciis celebrantur, quem ipse, indignus quidem,  
copiosissime sum expertus, quum stipendium largif-  
simum nouis additamentis augere decreuistis.

Quod *VOBIS, PATRONI* pia mente  
*COLENDI*, pro tanta erga me beneuolentia;  
pro tantis fauoris erga me *VESTRI* documen-  
tis reddam, non habeo. Accipite vero meum gra-  
tissimum animum, hancque, quam pia mens mea  
*VOBIS* demississimo cultu sacram esse cupit, dis-  
sertatiunculam, tenui aëna conscriptam ac in theo-  
logorum palæstra ventilatam. Benignitas, quam  
sepissimo expertus sum, *VESTRA* causa est,  
cur certissime confidam, *VOS DOMINI MV-*  
*NIFICENTISSIMI*, hoc, qualecunque sit, vi-  
rium mearum specimen, pro consueto *VESTRO*  
more, id est clementer, esse accepturos. Ego vero  
castissimas pro salute *VESTRÆ*; pro incolumitate  
Fami-

*Familiarum splendidissimarum VESTRARVM:  
pro flore et incremento totius Reipublicæ Ratis-  
ponensis PATRIAE meæ carissimæ, ad Deum  
effundam preces. Seruet VOS immortale numen  
incolumes florentissimosque, ut amoris et benigni-  
tatis VESTRAE, qua splendetis, fructus in ci-  
ues redundant vberissimi et abundantissimi. Ceterum  
submisso animi cultu VOS rogo ac precor, ut sum-  
mo VESTRO Patrocinio et Fauore impostherum  
quoque amplectamini*

ILLVSTRIVM AC MAGNIFICORVM  
NOMINVM VESTRORVM

obedientissimum et obseruantissimum cultorem ac clientem

IOANN. IMMANVELEM SCHAEFFERVM



DISSERTATIO  
DE  
TRISTITIA POENITENTIVM  
DIVINA

---

ΣΤΝΟΨΙΣ.

**E**xponitur primum de Corinthiis, ad quos Paulus de tristitia scripsit, eorumque status, ut pateat, qualis occasio descriptionis huius fuerit §. I. II. III.

Singula deinde Paulini essari verba explicantur atque ostenditur, quid apostolus per tristitiam *κατὰ θεόν* significauerit, postquam diuersa interpretationes diuidatae fuerunt §. IIII - VII.

Quid intelligendum sit per *μετάνοιαν* eamque in salutem §. VIII. VIII.

Qua ratione tristitia contritio; aut poenitentia salutaris, veluti effectus, adscribarur §. X.

Quae sententia Paulus hanc *μετάνοιαν* adpellat *ἀμετανόητος* §. XI. XII. XIII.

Qualis natura sit tristitiae mundi, quam apostolus diuinæ opponit §. XIII.

Expositis his, disputatur: num Paulus dictum hoc ex Salomonis libro, ecclesiastes inscripto, sumserit §. XV.

Ac dogmata, in eo comprehensa, explanantur,

A

rum, maxime de penitentiâ generatim  
eiusque sinceritate, quum alia sit lapsor-  
um; alia stantium §. XVI.

Vbi disquisitio fit: ad quod eius genus Paul-  
li essatum pertineat. §. XVII.

De contritione speciatim, eo ordine, ut  
inprimis de illius distinctione inter lega-  
lem et euangelicam digeratur §. XVIII.

Ac pontificiorum aliorumque errores de con-  
tritione, eius indole, origine ac vi resellan-  
tur §. XVIII - XXIII.



PAVLLVS Corinthios in priore epistola, quam ad eos,  
ut doctissimi viri a) suspicantur, anno post fer-  
uatorem, in lucem editum, LVII. misit, ob varios  
næuos, præsertim quod hominem, incestus crimi-  
ne contaminatum, a societate sua sacra non excluderant, graui-  
ter reprehenderat. Quod quum non sine fructu factum fuisset  
Corinthiique gratiæ diuinæ ita reliquissent locum, ut dolorem de  
vitiis suis sentirent: prauos emendarent mores ac testarentur, se  
meliorem recepisse mentem, apostolus posteriores litteras ad istos  
exarauit, eodem, ut videtur b), quo priores, anno, quibusdam  
tantum interpositis mensibus. In his significat, se singulari amore  
Corin-

a) IO. PEARSONIVS *anual. Paulinis vita et epistolis Pauli*, p. 196. IOANN.  
P. 15. *oper. eius posthumor.* LVDOV. CHRIST. WOLFIVS *cur. philol. et crit.*  
ELL. DV FIN *prolegom. sur la bible rom.* in quatuor priores Pauli epistolas p. 566.  
II. p. 48. IO. MILLIUS *prolegom. nou.* atque alii.  
*testament.* §. 9. p. 2. IO. ALB. FABRI-  
EIVS *bibliorb. græc. vol. IIII.* p. 123, et b) quam sententiam et laudati scri-  
I54. IOACH. LANGIVS *commentor. de* ptiores probabilem esse, iudicant,

Corinthios prosequi deque illorum poenitentia lætari; simul autem eorundem animos, antea per priorem epistolam perturbatos atque adflictos; nunc autem correctos, erigit ac consolatur c). Præter alia, scribit: *nunc gaudeo, non, vos tristes fuisse solum; sed ad poenitentiam in tristitia versatos. Fuisitis enim tristes κατὰ θεόν, ita ut nullo per nos incommodo sitis adfecti.* Addit: *divina enim tristitia poenitentiam, nunquam poenitentiam, ad salutem efficit.* At *mandata tristitia mortem parit, 2 Corinth. VII, 9. 10.* Verba hæc sanctiora sunt, quæ vberius enarrare; neque solum de vera eorum sententia; sed etiam de ipsa re, in illis comprehensa, exponere, animus est.

## §. II.

SCRIPSIT hæc Paullus ad Corinthios; siue incolas Corinthi, Achaïæ urbis, quæ ampla, diues, nitida ac sedes excellentissimorum artificum fuit: quam CICERO d) *totius Græciæ lumen: FLO- RUS e) Achaïæ caput: Græciæ decus* vocat: de cuius laudibus STRABO f) hæc habet: ἡ πόλις τῶν κορινθίων μεγάλη τε καὶ πλεσσία διαπαντός ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ὑπὸρρηκεν ἀγαθῶν εἰς τε τὰ πολιτικά, καὶ εἰς τὰς τέχνας τὰς ἡμιουργικὰς· μάλιστα γὰρ καὶ ἐνταῦθα, καὶ ἐν Σικυῶνι ἠυξήθη γεαφυρή τε, καὶ πλασική, καὶ πᾶσα ἡ το αὐτῆς ἡμιουργία, fuit Corinthus urbs magna semperque diues, copiamque tulit virorum et

A 2

ad

c) ita de principali epistola huius argumenti sentiunt: AVG. HERMANN. et epistolis Paulli p. 216. vna cum aliis,

d) pro lege Manilia cap. v.

FRANCKIUS *commentar. de scopo libro-*

e) libr. II. cap. 16.

*rum veteris et novi testamenti*, p. 186.

f) libr. VIII. p. 586, edition, ALME-

IOACH. LANGIUS *commentar. de vita*

LOVENII.

ad res ciuiles tractandas idoneorum, et ad artificia exercenda: maxime enim ibi ac Sicyone pingenda ac fingendi alieque id genus artes aucta sunt. Antiquum Corinthi nomen fuit *Ephyræ*, ac, quum illa a romanis, quibus adhuc non sine contumelia restiterat, bello Achaico deleta esset, a Iulio Cæsare restituta, pristinum splendorem recuperauit ac romana colonia facta. Antequam Corinthii ex tenebris in lucem salutaris doctrinæ vocarentur, scdissimo fictorum numinum cultu se contaminarunt ac græcorum posteaque etiam romanorum exempla sequuti, plura idola religiose venerati sunt, maxime neptunum ac venerem; inter minores autem deos cotyn, isidem, iouem olympium atque alios. Mores istorum exstiterunt corruptissimi, quod Paullus luculento testimonio confirmat. Quum enim dixisset: *ne errate: nec impudici; nec deastricolæ; nec adulteri; nec molles; nec cinædi; nec fures; nec auari; nec ebriosi; nec conuitiatores; nec rapaces diuinum regnum consequentur*, addit: *et tales quidem nonnulli eratis*, 1 Corinth. VI, 10. 11. Eadem de grauissimis Corinthiorum vitiis AELIANVS g) litteris mandauit. Refert enim, Bacchiadarum imperium apud Corinthios, postquam ad summum potentiæ gradum peruenerit, *διὰ τὴν τεγοφὴν, τὴν ἐξω τῆς μέτρης*, per immoderatam luxuriam dissolutum esse h).

Ex

g) *libr. 1. var. hist. 1. cap. 19.* Addunt nonnulli, quod idem auctor *libr. III.* NIVM aduozar. in dicr. loc. p. 226, edit. GRONOVII.

*cap. 14. de Tyrinthiis scriptum reliquit, eos b) videantur: CHRISTOPH. CELLAVINO se dedisse intemperanter, ac pro Tyrinthiis legant Corinthiis; merito autem alii p. 1131. SAL. VAN TIL. commentar. in quatuor Pauli epistolas, nempe priorem ad Corin-*

Ex quo tamen lux euangelii apud illos accensa fuit, facta est mentis vitæque emendatio. Relictis Athenis, Paullus iter Corinthum fecit anno christiano L. ibique per annum et sex menses commoratus est ac coetum, christi disciplinæ addictum, eorum, qui antea partim iudaicam; partim superstitiosam religionem professi erant, constituit, actor. XVIII, r. sq. Aetate istius omnes fere Corinthi incolæ fuerunt romani, hancque ob causam apostolus eo libentius in vrbe hac per longius tempus permansit, quo melius faciliusque iure ciuitatis suæ romanæ vti ac commode occasionem, Romam adeundi, expectare potuit 2).

## §. III.

QUVM ita Paullus munere apostolico apud Corinthios sūngeretur, iisque verbum diuinum adnuntiaret, gratiam dei illi non adspernati sunt; sed ad cognitionem eorum, quæ ob felicitatem sempiternam consequendam necessario credi debent, salutarem peruenerunt ac mores suos corrigere cœperunt, adeo, vt Paullus illos laudet, quod non solum diuites facti sint *ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πᾶσιν γνῶσιν*, verum etiam quod testimonium eius de christo in iis

A 3

firma-

Corinthios, Ephesios, Philippenses ac Colossenses, p. 3. sq. NICOL. GYRTLERSVS de originibus mundi, libr. II. cap. 23. p. 612. IOACH. LANGIVS comment. de vita et epistolis Paulli, p. 89.

1) legantur: 10. BRAVNIVS select. sacror. libr. I. cap. 3. p. 49. GVIL. CAVEVS antiquit. apostolicæ, p. 381. SAL.

VAN TIL. commentar. in quatuor Paulli epistolas, priorem ad Corinthios, Ephesios, Philippenses ac Colossenses, p. 10. et opere analytico, comprehendente introduct. in sacram scripturam, tom. II. p. 537. 10.

ALBERT. FABRICIVS salutar. luce euangel. p. 86. IOACH. LANGIVS comment. de vita et epistolis Paulli p. 89. sq.

firmatum sit et quod nullo dono careant, patet actionem expectantes domini nostri iesu christi, 1 *Corinth.* I, 4. 5. 6. Attamen næuorum non expertes erant. Ortæ sunt inter eos dissensiones ac discidia et fuerunt, qui doctoribus suis horumque donis nimium tribuendo, concordiam perturbarent. Hominem illum, qui incestu se inquinauerat, minus eiiciebant: in litibus forensibus non sine aliorum offensione versabantur: contra christi disciplinam indulgebant libidinibus: in vsu ciborum, idolis oblatorum, prudentiæ præcepta negligebant. Quando sacra peragenda ac speciatim diuinæ epulæ celebrandæ erant, varia admittebantur, decoro, atque bono ordini aduersa: immo in cœtu hoc exstiterunt, qui mortuorum reditum ad pristinam vitam negare, non dubitarent *k*). Vitiæ hæc atque alia Paulo occasionem præbuerunt, priorem epistolam ad Corinthios scribendi istaque grauiter; simul tamen sapienter ac mansuete, eos reprehendendi, ac, quam suscepit, obiurgatio Corinthiis multam vtilitatem adtulit. Errata enim sua ita perspiciebant, vt de illis dolerent ac respiscendo, studium in emendandis corruptis moribus ponerent, ob quod Paullus eos his verbis commendat: *ecce enim vel hoc ipsum, quod secundum deum doluistis, quantum vobis pepererit diligentiam? immo defensionem? immo indignationem? immo metum? immo desiderium? immo studium? immo vindictam? quibus omnibus vestram in eo facinore innocentiam probastis, 2 Corinth.* VII, 11.

## §. III.

*k*) conf. AVGVST. CALMETVM prolegom. et dissertationibus in sacram scripturam rom. II. p. 201. seq.



## §. III.

VERBA igitur, a nobis nunc illustranda, apostolus ad Corinthios scripsit eosque *penitentes*. Tribuit illis λόπον, *tristitiam*, eam animi commotionem adfectionemque, qua quis mente perturbatus est ac verum dolorem sentit, dum iudicat ac persuadet sibi, malum quoddam ipsi imminere; simul autem vehementer cupit, periculum, quod instare putat, auerti. Eiusmodi tristitia in homine poenitente excitatur, quando partim peccatorum suorum grauitatem ac multitudinem; partim summam dei sanctitatem, iustitiam, iram, comminationem ac sempiternum supplicium, ab omnibus, qui sine respicientia ac fide in christum a vita discedunt, expectandum, ita reputat, vt cognitio hæc in mente vim suam prodat ibique dolorem de perpetratis peccatis pariter, ac cupiditatem pristinae gratiæ diuinæ recuperandæ efficiat. Antequam ipsa tristitia oritur, terror animum concutit huncque sequi istam, dicendum est, vbi rem adcurate exprimere velimus. Differt illa a contritione, eo modo, quo pars rei cuiusdam atque integra eius natura inter se distant, quoniam ad hanc constituendam alii adfectus, itidem cum mentis perturbatione coniuncti, in animo inesse debent, detestationis quippe male factorum: odii erga peccata et se ipsum: pudoris. Apostolus tamen Corinthios laudat, non simpliciter de tristitia; sed de ea, quæ sit κατὰ Θεόν. Varia diuersaque ratione verba hæc explicantur. Nonnulli tristitiam significari, putant, qua quis de peccatis atque violata dei lege adficiatur. In horum numero est BASILIUS *magnus I*), qui ad quæstionem: *quæ est*

*I) regul. breuiorib. interrogat. CLXXXXII. tom. II. oper. p. 690.*

est tristitia secundum deum? ita respondet: ἢ κατὰ Θεὸν λήθη ἐστίν, ὅταν, ἐντολῆς Θεοῦ παραφθοίας, λυπηθῇ τις κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἀθυμία κατέσχεν με ἀπὸ ἀμαρτωλῶν, τῶν ἐγκαταλιμπανόντων τὸν νόμον σου, tristitia secundum deum est, quia quis ob neglectum dei mandatum tristitia adficitur, iuxta illud, quod scriptum est: tristitia me tenuit propter peccatores derelinqentes legem tuam. Consentit cum eo THEOPHYLACTVS m) dicitque: διὰ τὰς ἀμαρτίας λυπεῖσθαι τις θέλων, κατὰ Θεὸν λυπεῖται, propter peccata si quis libenter tristatur, secundum deum contristatur. Inter recentiores IO. GERHARDVS n) eandem sententiam adprobat ac tamquam satis firmam his commendat verbis: non debet; nec potest negari, tristitiam secundum deum in hoc dicto significare dolorem de admissis peccatis, quum circumstantia textus ostendant, non posse aliter accipi. Duplicem enim tristitiam apostolus constituit: vnam secundum deum, hoc est, quae nascitur ex spiritu dei mouente corda circa res spirituales, vt de iactura earum et de peccatis doleamus; alteram tristitiam huius mundi, quae nascitur ex spiritu mundi et est filiorum huius seculi propria, qua vel ob iacturam rerum temporalium immoderate dolent; vel ex impatientia correctionis tristantur ac fremunt; vel continuos conscientiae morsus sine vlla verbi consolatione sentiunt. Quae non sine omni ratione proposita esse, fatemur; videtur tamen Paullus, quum loquitur de poenitentia speciatimque de tristitia κατὰ Θεὸν, praecipue indolem adfectus huius, quod ad ortum eius ac formam adinet, exprimere voluisse o).

§. V.

m) comment. in 2 Corinth. vii, p. 380.

n) loc. theolog. loco de poenitentia, §. 45.

o) adducitur etiam testimonium AMBROSII ex commentar. in epistolam ad Corinthios

§. V. ALII verba *κατὰ Θεοῦ* interpretantur per: *ad exemplum dei*, atque existimant, apostolum talem tristitiam significare, qualis fit in deo, quando eam ex peccatis nostris concipiat nobisque exemplum, quod imitemur, proponat, IO. PHILIPP. TREVNERVS p), GYSTAV. GEORG. ZELTNERVS q). Nec hanc sententiam omni probabilitate carere, adfirmandum est. Primum enim tristitia ac dolor animi deo tribuitur atque indicatur, peccata hominum ei displicere ac cælestem gratiam tollere, quemadmodum dicitur: *ad dolorem eum concitarunt in deserto, psalm. LXXVIII, 40. rebelles fuerunt et dolore adfecerunt spiritum sanctum eius, Jesai. LXIII, 10.* ubi usurpatum verbum *כאב* idem esse, ac *dolore adfectus est: dolorem adtulit*, satis notum est; simul autem constat, cum dolore tristitiam maxime coniunctam esse. Paulus scribit: *et ne loseis sanctum dei spiritum, quo consignati estis ad liberationis diem, Ephef. III, 30.* Præterea præpositio *κατὰ* vim comparandi habet, apud sacros scriptores pariter, *Rom. XV, 5. Gal. III, 28. 1 Petr. I, 15.* ac inter profanos apud *ARRIANVM r)*. Sed quamvis rationes hæc non contemnendæ sint atque explicationem, quam memorauimus, reddunt

*vinthios secundam*, ubi hæc legenda sunt: *BROSIVM* libri huius haud auctorem manifestum est, quod qui *tristis est, quia peccavit, secundum deum tristis est. Do-* p) *primæ Augustan. p. 10.*  
*let enim, quia feci, quod odit deus, rom.* q) *adnotat. ad hunc locum.*  
*ii, oper. adpend. p. 189. edition. Bene-* r) *vide GEORG. RAPHELIUM adno-*  
*dictin. Parif. cis 1061XXXX. Sed iam* *rationib. philol. in nou. testament. ex Poly-*  
*dudum eruditissimi viri probarunt, AM-* *bio'et Arriano, p. 488.*

dant probabilem; non eam tamen ipsi dignitatem conciliant, vt illa reliquis interpretum sententiis præferri debeat. Quum enim præpositionis *κατὰ* significandi virtus apud græcos auctores varia est; in Pauli autem verbis *κατὰ Θεόν* amplior sensus inesse videtur, vti ex sermonis, quem instituit, argumento ac nexu haud obscure colligendum est, licet omnino, maiorem saltem probabilitatem in explananda apostoli mente adsequi, id quod ex paullo post dicendis patebit. Alii *κατὰ* referunt ad deum, tamquam causam, cur tristitia in animo sit, vt, quum antea ille per peccata læsus fuerit, nunc gloria eius per pœnitentiã speciatiq̃ue per tristitiã amplificetur. Coniecturam igitur faciunt, *λόγην κατὰ Θεόν* esse *tristitiã in honorem et gloriam dei*; vix autem credibile est, Paulum notionem hanc exprimere voluisse, inprimis, quum in aliis sacri codicis locis, vbi de eo, quod ad diuinam gloriam referendum est, eiusmodi loquendi ratio non adhibetur; nec expresse de pœnitentia dicitur, fieri eam debere in honorem dei. Immo, si apostolus pœnitentiã, ad summi numinis laudem comparatam, indicare voluisset, *tristitiã diuinã* minus commode *tristitiã mundi* opposuisset. Longius, quam adhuc adducti auctores, se a vera Pauli sententia aberrare, prodit HENRICVS HAMMONDVVS s), quando *tristitiã κατὰ Θεόν* sumit de *disciplina ecclesiastica*; *tristitiã νόσος* autem de *pœna ab hominibus inflata*, merito a IO. CLERICO t) ideo castigatus.

## §. VI.

s) *paraphras. nou. testam. 2 Corinth.*  
VII, 10. p. 221.

t) *adorationib. ad Hammondi nou. test.*  
*dicso loco.*

## §. VI.

RECTIVS alii vim verborum *κατὰ Θεὸν* adsequuti sunt, licet et ipsi inter se discrepent. Nonnulli exponunt illa per: *secundum*; siue *ad voluntatem dei*, tamquam tristitiæ normam, per ordinem salutis præscriptam, apte satis ad apostoli mentem. Ita enim Paulus vocem *κατὰ* et alibi vsurpat, vt notionem *voluntatis ac normæ* comprehendat, *Roman.* VIII, 27. *Epbes.* II, 2. III, 22. 24. *Colloss.* III, 10. *2 Corinth.* X, 13. *2 Timoth.* III, 1. 2. hæcque significatio ad veram pœnitentiæ indolem, quatenus apostolus illam a naturali distinguit, propius accedit. Inprimis eiusdem apostoli verba lucem adferunt, quando de sancto spiritu dicit, eum *κατὰ τὸν Θεὸν*, id est, *secundum voluntatem dei*, ἐντρογχαίνεν ὑπὲρ τῶν κρίσεων, *Rom.* VIII, 27. In his interpretibus sunt: HUGO GROTIUS *u)*, HENRICVS HOEPFNERVS *x)*, PAVLLVS ANTONIVS *y)*, GOTTFR. OLEARIVS *z)*, IACOB. ELSNERVS *a)*, IOACH. LANGIVS *b)*, IO. CLERICVS *c)*. Sunt quoque, qui denotant, *κατὰ Θεὸν* vsurpari de *instinctu diuino*, *diuinitus*, apud PLATONEM, EVRIPIDEM, ATHENAEVM et in sacro codice *1 Corinth.* XII, 8. *2 Corinth.*

B 2

XI,

- u)* adnotat. in *2 Cor.* VII, 9. tom. III. in *2 Cor.* VII, 9. p. 626.  
oper. theol. p. 846. *a)* obseru. sacrar. in nou. fœderis libros, tom. II. p. 150.
- x)* de iustificacione hominis peccatoris coram deo p. 1028. *b)* in dem apostol. licht und recht, tom. I. p. 421.
- y)* dissert. de contritione salutar. p. 30. qui tamen p. 16. *κατὰ Θεὸν* etiam de deo, causa efficiente, explicat. *c)* not. ad Hammondii nouum testament. *1 Corinth.* VII, 10. p. 222.
- z)* apud WOLFIVM cur. philol. et crit.

XI, 17. *d*) hancque significationem ad locum nostrum Paullinum ita adcommodari posse, vt intelligatur tristitia, diuina gratia in Corinthiorum animis excitata, cuius generis tristitiam vera poenitentia omnino requirit. Ab interpretatione hac non multum distat eorum sententia, qui verba: *κατὰ θεὸν* exponunt per *diuinam benignitatem, diuinum beneficium*, quemadmodum apud LUCIANVM *e*) dicitur: *ἐγὼ δὲ κατὰ θεὸν εἰλόμην καὶ εἰ μεταμέλει μοι τῆς αἰρέσεως*, *ego diuino beneficio elegi; neque me poenitet electionis*, ac GVILIELM. BVDAEVVS *f*) similem loquendi rationem ex SYNESIO adducit. Nec isti ab his longe discedunt, qui *κατὰ θεὸν* latine reddi posse, putant: *auctore deo*, atque intelligendam esse tristitiam, cuius auctor sit deus; siue quam deus in hominum animis efficiat; hanc autem in rem prouocant ad *euangelium*, quod dicitur *κατὰ ματθαίου*, id est, *auctore, scriptore Matthaeo g*).

## §. VII.

IAM memoratae expositiones ita sunt comparatae, vt verbis vsuique loquendi aequae ac ipsius rei; siue tristitiae in poenitentia indoli congruant; hanc autem ob causam singulae probabilitatem eiusdem fere gradus praeseferant. In istis quum variae significationes admittantur, quamnam earum Paullus potissimum in mente habue-

*d*) conf. GVIL. BVDAEVVM *commentar. lingu. graec.* p. 1234. HENR. STEPHANI *thesaur. lingu. graec. tom. II. p. 88.* GEORG. RAPHELIVM *adnot. in nou. testam. ex Polybio et Arriano.* p. 489. et GEORG. DAV. KYRKE *obseru. sacr. tom. II. p. 255.* *e*) *Hermocim. tom. I. oper. p. 519. ed. GRAEVII.* *f*) *dicto loco.* *g*) vide IO. CHR. WOLFFIVM *cur. philolog. et crit. in Matthaeum.* p. 3.

habuerit? vbi quæras, id definire, difficile est. Attamen quia verba: *λύπη παρά Θεόν* omnino cum emphasi coniuncta sunt, satisfaciemus eorum grauitati, si ampliorem sensum illis tribuamus atque ea per *tristitiam diuinam* ita interpretemur, LUTHERI exemplum sequuti, qui ista germanice eodem modo vertit, vt intelligamus tristitiam, eamque tale opus diuinum, quale plura complectitur. Vera enim tristitia est opus diuinum, quod adinet ad eius I) *originem*, vt pote quæ ad deum referenda est. Deus *precepit* poenitentiam ac per consequentiam simul tristitiam, tamquam illius partem, ea ratione, vt vtramque ab hominibus postulet, vbi gratiam diuinam, veniam peccatorum, communionem cum christo, ius cælestis hereditatis atque ipsam felicitatem æternam consequi velint, *Ierem.* III, 12. 14. *Ioel.* II, 12. *Matth.* III, 8. *Marc.* I, 15. VI, 12. *act.* II, 38. III, 19. VIII, 22. XVII, 30. *apocal.* II, 5. 16. III, 3. 19. Deus est, qui tristitiam veræ poenitentiae *efficit*, isque solus per gratiam, vti adpellatur, operantem, in illis quippe, qui omni fide in christum, vita spirituali ac cælesti gratia carent; nec quum in peccatis mortui sint, propriis viribus ad deum se conuertere possunt. Quocirca opus conuersionis ac poenitentiae disertis verbis deo tribuitur, *Ierem.* XXXI, 18. *Ezechiel.* XXXVI, 26. *actor.* V, 31. XI, 18. *Ephes.* II, 5. *2 Tim.* II, 25. Deus denique est, qui homines in negotio poenitentiae ac speciatim tristitiæ *adiuuat*, vt facilior illa ac perfectior fiat. Qui adiumentum hoc a deo accipiunt, ii sunt regeniti ac conuersi: cum christo per fiduciam, in meritis eius collocatam, coniuncti: propter infirmitatis autem peccata necesse est, vt tristes sint ac dolo-

rem sentiant. Gratia igitur, quam deus apud eos adhibet, cooperans est, quemadmodum ea vocatur. Diuinum opus est tristitia, vbi ista referatur II) ad *modum* suum atque *indolem*. Talis enim est tristitia, qualem deus a nobis postulat; illa videlicet, quæ voluntati diuinæ, tamquam normæ, congruit: quæ vera; non simulata: spiritualis; non mundana: viua et efficax; non mortua est hocque nomine deo placet. Eiusmodi ampliorem sententiam verborum: *κατὰ Θεόν*, commendat IO. HVLSEMANNVS dicitque: *utrumque notat præpositio κατὰ, normam et causam efficientem, ut patet ex parallelis Marc. I, 27. Tit. III, 5. Phil. III, v. ult. Matth. XI, 1. Ebr. XI, 13. 1 Tim. V, 21. et alibi. Itaque tristitia secundum deum explicatur a Paulo, quod sit talis, quam ille virtute et mandato dei excitauit in Corinthiis. Quemadmodum ex opposito tristitia secundum mundum significat dolorem, ex causis mundanis excitatum h). Eandem adprobant, præter alios, ABR. CALOVIVS i), IO. CHRISTOPH. WOLFIVS k), CHRISTIAN. EBERH. WEISMANNVS l).*

## §. VIII.

DE tristitia diuina, a nobis adhuc explicata, pronuntiat Paulus: *μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεσθαι*. Qualis sit significatio vocabuli *μετάνοια* in effato hoc, in id præcipue inquirendum est. Interpretes de ista inter se discrepant. Alii vocem illam de *penitentia* explicant, partim de eius parte, quæ est contritio, vti et LVATHERVS eam sumsisse videtur, dum istam germanico

h) *vindic. sacra scriptura* p. 125.

vii, 9. p. 625. seq.

i) *bibl. illustr. in hunc locum.*

l) *institution. theolog. exegetico-dogma.*

k) *cur. philolog. et critic. in 2 Corinb. sic. p. 719.*



nico sermone expressit: *eius reue*; partim de integra pœnitentia, quæ et fidem in christum complectitur. Sic HENR. HOEPFNERVS m) scribit: tristitia secundum deum est, quam deus efficit in homine per concionem tum legis, quoad contritionem; tum euangelii, quoad fidem in christum. Ex his itaque partibus constans tristitia secundum deum κατεργάζεται penitentiam non penitentiam ad salutem, id est, ex concursu harum partium essentialium constituit salutarem penitentiam, ceu totum quoddam. IO. HVLSMANNVS n): penitentia dicitur salutaris non respectu primæ partis; seu doloris; sed respectu partis posterioris, id est, fidei. Reliquos consulto præterimus. Alii per μετάνοιαν intelligunt emendationem, pristinæ quippe vitæ, quæ pœnitentiam proprie dictam subsequitur; λύπην autem de dolore, de pœnitentia sumunt, in quibus sunt: HVGGO GROTIVS o) et THOM. GATACKERVS p), cui interpretationi ea fauere videntur, quæ Paulus statim subiungit: *quod secundum deum tristes fuistis, quantum vobis peperit diligentiam? immo defensionem? immo indignationem? immo metum, cet.*

## §. VIII.

VOCEM μετάνοια rectius per penitentiam; quam per emendationem vitæ exponi, existimamus. Quamuis enim ista proprie mutata sententiam ac mentem significet atque in pœnitentia omnino mutatio fiat; hanc tamen a mutatione ipsius vitæ differre, adfirmare

m) de iustification. hominis peccatoris rom. III. oper. theol. p. 846.  
coram deo p. 1029.

n) excirar. loco.

p) aduersar. miscellan. posthumor. cap. XXVIII. p. 746. seq. oper. criticor.

o) adnotacionib. in 2 Corinth. VII, 10.

mare debemus, vbi rem adcurate definire velimus. Illa ordine antecedit ac prior est, tamquam causa: hæc sequitur ac posterior est, veluti effectus. Illa pertinet ad constituendam pœnitentiæ essentiam: hæc ad istius fructus. Quando autem loco hoc *perd-  
voia* est *pœnitentia*, sumi hæc potest et de parte eius, contritione; et de toto; siue integra resipiscentia. Vtroque enim modo cum verbis ab apostolo coniunctis: *eis contritionem*, apte cohæret. *Contritio* est *salutaris*, non sola atque in se, quatenus illa in sensu iræ diuinæ: in dolore de peccatorum pœnis metuendis: in angore ac perturbatione animi consistit quæue ideo ex lege tantum oritur; sed *salutaris* potius est per fidem in christum, cum ea coniunctam, qua, ex parte hominum, ratio salutis æternæ adipiscendæ vniue continetur. Quod si ita contritio salutaris intelligitur, non reprehendendus est, qui eam aliis proponit ac commendat. Hæc sane est contritio, quam in seruatoris nostri essato: *beati pauperes spiritu*, id est, qui corruptionem animæ suæ, speciatim intellectus tenebras voluntatisque omnium cupiditatum atque adfectuum peruersitatem sentiunt ac iudicant, se virium spiritualium plane expertes, adeoque pauperes esse: *beati, qui lugent*, *Matth. V, 3. 4.* indicari, nemo negabit. Quo et alia diuiniora dicta commode referri possunt, *psalm. II, 19. Ies. LVII, 15. LXI, 1. seq. LXVI, 2.* vna cum quibusdam loquendi formulis eiusdem significationis, quam deus vult, vt *necemus membra nostra terrestria*, *Col. III, 5.* vt *circumcidamus cordis nostri præputium*, *deuter. X, 16.* *Ierem. III, 4.* vt *exuamus veterem hominem cum suis actionibus*, *Coloss. III, 9.* Innuunt etiam libri symbolici ecclesiæ nostræ contritionem hanc, quando dicitur

tur g); hæc fides ostendit discrimen inter contritionem Iudæ et Petri: Saulis et Davidis. Ideo Iudæ; aut Saulis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hæc fides, adprehendens remissionem peccatorum, donatam propter christum. Ideo prodest Davidis; aut Petri contritio, quia ad eam fides accedit. Eandem et alii nostrorum theologorum tradunt, ex quibus BALTHAR. MEISNERVM r), IO. GERHARDVM s), CASPAR. ERASMV M BROCHMANDVM t), PAVLLVM ANTONIVM u) nominasse sufficiat. Si quis tamen μετανοιαν interpretari velit per penitentiam eamque integram, quæ agnitione peccatorum, contritione ac fide in christum absoluitur, et illa quoque habenda est salutaris ob fidem in iesum servatorem, quatenus hæc singularem poenitentiae partem constituit; a contritione distinctam.

## §. X.

CONTRITIONEM; aut poenitentiam, late sumtam omnesque complexam partes, quum Paullus tristitiae, veluti effectum, adtribuit, atque hanc in rem vitur voce *κατεργάζεται*, inuestigandum nunc est, qualis significandi vis verbi huius in effato apostoli sit, vt sententia eius adcuratius intelligatur. Minime vox hæc explicanda est de causa efficiente; nec existimandum, tristitiam virtute sua μετανοιαν εις σωτηριαν producere, quod non solum vtriusque, tristitiae pariter ac contritionis poenitentiaeque salutaris, natura; sed etiam eorum exempla luculenter monstrant, qui quamvis

g) apolog. art. IIII. de poenitentia p. 166. disputacionib. theolog. p. 345.

r) philosoph. sobr. parr. II. p. 369.

t) Systemat. theolog. tom. II. p. 132.

s) loc. theolog. loc. poenitentia §. 68. et

u) disputat. de contritione salutaris.



uis de peccatis suis maxime tristes fuerint; minus tamen gratiam diuinam ac salutem sunt consequuti. Quocirca vocabulum *καταργήσεως* vim tantum præ se habet *instrumenti, occasionis*; aut eius, quod *viam parat* ad aliud, eo sensu: *tristitia*, vbi illa, de peccatis excitata, animum occupauit, *occasionem præbet contritionis*; aut *penitentiae salutaris*, ita vt hominem ad totam contritionem ac penitentiam adducat ac viam ipsi paret ad reliquas, quæ adhuc necessariæ sunt, mentis commotiones; hanc autem ob rem iste in negotio resipiscentiæ progrediatur et ad metam feliciter perueniat. Similem explanationem adhibet GEORG. CALIXTVS x), his verbis: *tristitia viam munit ad conuersionem et gradus est, quo quis saluti propior fiat, quamquam nondum posita huiusmodi tristitia, ponitur ipsa conuersio; aut salus; sed, vt diximus, via et gradus quidem est ad resipiscentiam et salutem. Nisi enim peccator agnoscat sua peccata: sibi met ipsi displicere et vitam suam odissè, incipiat, numquam conuertetur; nec adducetur, vt ope se indigere, existimet: dei gratiam imploret et in vnico christi merito spem salutis collocet. Nec res; sed verbis dissentit FRID. BALDVINVS y), quando dicit: *tristitia; seu contritio ob admissa peccata antecedit, tamquam causam remouens, probibens. Nisi enim peccata serio detestaretur homo, serio penitere non possèt. Dicitur ergo tristitia de peccatis operari penitentiam salutarem, vt causa per accidens, quemadmodum remotio puris dicitur efficere sanitatem vulneris: adde HENR. HOEFFNERVM z), IO. ANDR.**

QV EN-

x) *exposition. literal. in epistol. Pauli ad Corinbios, p. 153.*

z) *disputationib. de iustificatione hominis peccatoris coram deo p. 1029.*

y) *commentar. in epistol. Pauli p. 673.*



QVNSTEDIVM a), PAVLLVM ANTONIVM b). Quæ quum ita sint, tristitiam de peccatis adiuventum quoddam adferre ad contritionem salutarem, quisque facile intelligit, inter tristitiam ac contritionem poni discrimen. Quale illud sit, ex vtriusque natura, si altera referatur ad alteram, sine difficultate colligendum est. Nimirum tristitia rationem partis: contritio totius præfert, vtpote quæ is hominis poenitentis status est, quo animus illius ob peccata variis adfectibus, inter se coniunctis, speciatim metu, tristitia, dolore, detestatione noxarum, odio omnium malarum actionum ac sui ipsius, vna cum pudore, adfigitur ac perturbatur.

## §. XI.

NON solum tamen apostolus de tristitia pronuntiat: μετανοίαν εἰς σωτηρίαν κατεργάζεται, sed etiam vocem ἀμεταμέλητον adiungit. Vfus eius nec apud sacros; nec profanos scriptores satis frequens est. In libris noui foederis adhibuit eam Paullus et in loco, in quo explicando iam versamur; et Roman. XI, 29. vbi dicit: ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλησις τῶ θεῶ. Inter auctores, verorum facrorum expertes, eiusdem vocis testimonia atque exempla habentur DIONYSII Halicarnassensis c): ἀμεταμέλητος ἡ αἴρεσις, ὁρτιο ποινιτινδα et alibi d): αὐται γάρ εἰσι βέβαιαι καὶ ἀληθεῖς τιμαί, καὶ ἀναφάιρτοι, χαρίεις τε καὶ ἀμεταμέλητοι, bi enim sunt stabiles et veri boniores, qui auferri non possunt: iucundi itidem; nec vnquam poenitendi:

C 2

HIBRO-

a) systemat. theologic. part. III, p. 340.

c) libr. II. antiquitat. romanar. p. 103.

b) excitat. dissertat. de contritione salutar. p. 14. seq.

d) libr. XI. p. 695.

HIEROCLIS e): ὁ γὰρ ἀρετῇ διατρέπων καὶ ἡδονὰς ἀμεταμέλητος καρπύεται, voluptates enim, quarum eum nunquam penitebit, qui virtute praeditus est, percipit: POLYBII f): ἔσεσθαι γὰρ ἀμεταμέλητον αὐτῷ τὴν τοιαύτην προδίξω, fore enim iururam, ut eius consilii ipsam peniteat: PORPHYRII g): τὴν δ' ἐπὶ καλοῖς καὶ δικαίοις, τοῖς πρὸς τὸ ζῆν ἀναγκάοις, ὁμοίως καὶ παραχρῆμα ἡδέϊαν, καὶ εἰς τὸ ἐπιόν ἀμεταμέλητον, alteram vero, que in rebus honestis atque iustis et ad vitam necessariis consistit, eam pariter et in presenti iucundam esse; neque postmodum penitentiam comitem habere. CICERO h) quoque vocabulo hoc vsus est, dum scribit: *si vincuntur boni, vdicumque essem, vna cum iis victus essem. Quare celeritas nostris reditus ἀμεταμέλητος debet esse, et alio loco i): ο hospitem mihi tam grauem! ἀμεταμέλητον k).*

## S. XII.

¶ NVO de vocabulo hoc, a Paulo in dicto nostro vsurpato, in quaestionem vocari possunt: alterum: num illud ad σωτηρίαν, an ad μετάνοιαν referendum sit? Nonnulli id cum voce σωτηρία coniungunt atque existimant, significari salutem, cuius non peniteat deum, postquam illius per diuinam gratiam quis particeps factus fuerit, quemadmodum dona dei dicantur ἀμεταμέλητα, Roman. XI, 29. id est, interprete SEE. CASTELLIONE, irrevocabilia; aut hominem, vbi

e) commentar. in aurea carmina, p. 132.  
edit. NEEBHAMI.

f) tom. II, histor. p. 1129, 1296. ed.  
BRONOVII.

g) vir. Pythagora p. 40. ed. XVSTERI.

h) libr. VII. ad Atticum, epist. 3.

i) ibid. libr. XIII. epist. 52.

k conf. IAC. ELSNERVM obseruat. sa-  
crar. in noui foederis libros tom. II. p. 53.

et GEORG. DAVID. KYPKE obseruat. sa-  
crar. in noui foederis libros tom. II. p. 256.

vbi iste salutem sit consequutus, quæ summa est ac perpetua. Explicandi hæc ratio durior esse ac verbis apostolicis vim quandam inferre, videtur. Quocirca rectius alii statuunt, ex mente Paulli vocem ἀμεταμέλητος coherere cum μετάνοια, ipsi autem de eo sententiis suis discrepant, quo modo μετάνοια dici possit ἀμεταμέλητος. Alterum hoc est, quod disputare debemus. Per propriam significandi vim suam voces hæc indicant *contritionem*; aut *penitentiam non penitentiam*, cuiusmodi loquendi ratio et aliorum auctoritatem præ se habet. PLINIVS l) dicit: *superest, ne rursus provinciae, quod damnasse dicitur, placeat agatque penitentiam penitentiae suae.* Ad eundem modum CVRTIVS m) scribit: *nec velle; nec nolle quidquam diu poterant penitebatque modo consilii; modo penitentiae ipsius.* Sic etiam christiani scriptores. TERTVLLIANVS n): *ita qui per delictorum penitentiam instituerat, domino satisfacere, diabolo per aliam penitentiae penitentiam satisfaciet.* AMBROSIVS o): *eos, qui penitentiam agunt, hoc solum penitere non debet, ne ipsius penitentiae agant penitentiam.* SALVIANVS p): *taliter ferme omnia agunt, ut eos non tam putes antea penitentiam criminum egisse; quam postea ipsius penitentiae penitere.*

## §. XIII.

QVAE iam enarrata quamvis satis perspicua sint ac firma; ea tamen ad sententiam Paulli adcurate adsequendam non penitus sufficiunt. Definiendum enim est, quali ratione μετάνοια, ab apo-

C 3

stolo

l) libr. vii. epistol. 10.

o) libr. 11. de penitent. cap. 9. 20th, 11.

m) libr. x. cap. 7. num. 12.

oper. p. 434. edit. Benedic.

n) de penitentia cap. v. p. 143.

p) de gubernatione dei libr. x.

stolo memorata, expers sit pœnitentiæ. Diversæ rei huius interpretationes sunt, quarum THOM. GATACKERVS q) ac IO. CASP. SVICERVS r) sex percensent; μετανοίαν quippe ἀμεταμέλητον significare: I) pœnitentiam non iterandam; siue eam, quæ semel; non iterum in peccatorum animis excitetur, vti Iudas memoret πίστιν τὴν ἀπὸ ἀξ. παραδοθεῖσαν, fidem, quæ semel tradita fuerit, epistol. v. 3. quæ explicatio a mente Paulli plane aliena est, siue ad rem; siue ad verba animum aduertimus; ei tamen CLEMENS Alexandrinus s) fauere videtur, vtpote qui μετανοίαν ἀμεταμέλητον dixit μετανοίαν ἀπιστανόητον. II) pœnitentiam impœnitibilem; siue perseverantem, quando quis in actu atque exercitatione pœnitentiæ constanter progreditur, apud PRIMASIVM t), id quod itidem a significatione vocabuli alienum est: III) pœnitentiam, cuius numquam quemquam pœnitere possit, quod licet non plane voci; rei tamen recte intelligendæ repugnat, quia omnino fieri potest, vt qui nunc de peccatis tristis sit ac dolorem sentiat, postea eum pœnitentiæ huius pœniteat: IIII) pœnitentiam, cuius vt quem pœniteat, numquam futurum sit, licet hoc quodam modo euenire queat, quæ interpretatio ideo non adprobanda est, quoniam nulla causa suppetit, cur haud futurum esse possit, vt pœnitentia pœnitenda nullum locum habeat: V) pœnitentiam, cuius numquam quemdam pœnitere debeat, quod quamuis in se verum sit; Paullum autem præceptum significare

q) aduersar. miscellan. posthumor. cap. POTTERI.  
XXVIII. p. 748. seq. oper. criticor.

r) commentar. in epistol. Paulli, tom. X. maxim. bibliorhec. parum Lugdunens.

s) libr. II. Stromat. p. 459. oper. edit. p. 202.



care voluisse, haud probabile esse, putamus: VI) *penitentiam*, cuius cur quemquam peniteat, nihil quidquam unquam futurum sit, quæ explanatio reliquis præferenda esse videtur, vtpote rei optime congruens. Voluit enim apostolus, nostra sententia, declarare, eum, qui per gratiam diuinam ad contritionem salutarem adductus sit, propter eiusmodi contritionis maximam præstantiam atque utilitatem nullam habere causam, cur perturbati animi, quem expertus sit, illum poeniteat.

## §. XIII.

TRISTITIAE diuinæ apostolus opponit: *ἀποθνῆσκει τὸ πνεῦμα* atque de ea addit: *θανάτου κατεργάζεται*. Magna omnino earum differentia est, ita comparata, vt diuina mundanam dignitate atque excellentia sua longe antecedit: speciatim I) in *origine*, quum diuina sit opus gratiæ; mundana naturæ: corrupti intellectus pariter atque animi huiusque præuarum cupiditatum: II) in *rebus*, de quibus mens tristitia adficitur, quia diuinam gignunt agnitio peccatorum ac sensus iræ diuinæ, cum dolore coniunctus; mundanam contra iactura tantum honorum terrestrium ac caducorum, opum, honorum, amicorum atque aliarum generis huius rerum; item spes boni consequendi irrita facta: dolor ex aliena felicitate conceptus: perpetui conscientiæ morsus, sine vlla, ex verbo diuino sumpta, consolatione: metus poenarum ac turpitudinis flagitiorum: III) in *modo*, qui in tristitia diuina ita adhibetur, vt illa non sit nimia ac continua; sed temperata; nec occasionem desperationis præbeat; mundana autem tristitia sæpe est immoderata; nec vllum



lum fere terminum habet ac finem: III) denique in *effectu*, qui plane contrariis est, dum Paullus expresse scribit de tristitia diuina: *μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται*, de mundana vero *θάνατον κατεργάζεται*, hocque est; quod res atque experientia confirmant. Quando enim quis peruersæ nimiaque tristitiæ indulget ac patitur, vt animus angoribus adficiatur, perturbationem eiusmodi multum valere ad tollendam sanitatem, quis dubitaret. Immo nemo negabit, grauioris ac longioris ægritudinis interdum magnam esse vim ac desperationem parere; hanc autem hominem ad id adducere, vt ipse vita sua se priuet, ex quibus perspicienda est causa, cur Paullus mundanae tristitiæ mortem tribuat, maxime temperalem; coniunctam tamen cum spiritali atque æterna. Videantur, quæ IO. GERHARDVS u), IO. HVLSEMANNYS x), IO. ANDR. QVENSTEDIVS γ), PETRVS RAVANELLYS z) atque alii de hac re commentati sunt.

## §. XV.

DISPICIENDVM adhuc est: num Paullus, quum de tristitia diuina ad Corinthios scripsit, dictum Salomonis: לב חכמים כביה אכל ולב כסילים כבית שמחה *cor sapientum est in domo luctus; at cor stultorum in domo letitiæ*, eccles. VII, 4. in mente habuerit ac veluti testimonium prioris foederis adduxerit? Ita nonnulli quidem putarunt; sententia autem hæc ne vllam probabilitatis speciem præ se habet. Salomo enim non de iis loquitur, qui ita de peccatis tristitia adfiuntur, vt per illam ad contritionem; aut poenitentiam

u) loc. theologic. loc. de poenitentia §. 45.

γ) Systemat. theolog. part. III. p. 840.

x) vindic. sacra scriptur. p. 125.

z) bibliothec. sacr. part. II. p. 769.

tentiam salutarem ducantur, vti Paullus; sed de sapientibus, quorum cor sit in domo luctus, id est, quorum meditationes ac proensiones dirigantur ad proprias imbecillitates: ad calamitates, cum christo ac per christum patienter perferendas: ad tot tantaque pleborumque hominum vitia ac peccata: ad summum animorum periculum, cum istis coniunctum, maxime ad mortalitatis finem; non ad res mundi vanas ac caducas, ex quibus stulti lætitiā capiunt, quemadmodum MARTIN. GEIERVS *a*), SEBAST. SCHMIDVS *b*) atque alii interpretes recte denotant. Quod si et Salomonis ac Paulli effata eiusdem argumenti essent; nulla tamen causa adfirmandi est, apostoli dictum ex Salomonis libro sumtum esse. Nihil a Paulo erat probandum: nihil testimonio confirmandum: nihil illustrandum; sed rationes Corinthiorum tantum ipsi occasionem præbebant, lætitiā de istorum tristitia testandi ac declarandi, diuinam tristitiā multæ esse utilitatis, id quod ab eo, doctore euangelii atque apostolo, sine testimonii adiumento fieri poterat. Pluribus hæc enarrat: FRANCISCVS WOKENIYS *c*).

## §. XVI.

POSTQVAM adhuc maxime in verbis effati apostolici explanandis versati sumus, nunc ad præcipuas res, quæ istis continentur, eo consilio accedimus, vt illas vberius edisseramus. Quæ Paullus scripsit, ea ad poenitentes, vti speciatim ad Corinthios; ita generatim ad omnes pertinent. Duo illorum genera esse:

D. aliud

*a*) commentar. in Salomonis ecclesiasten, p. 205.

p. 237.

*c*) harmon. veteris et nou. testam. p.

*b*) commentar. in Salomonis kobeletb, 393.

aliud *lapsorum*: aliud *stantium*, satis constat. Posteriorum poenitentia vocatur *quotidiana, continuata, minor* hancque fieri debere, grauiore ratione comprobant. Qui enim *stantes* adpellantur, illi quidem fide in christum præditi atque in pristinam dei gratiam restituti sunt; propter naturalem tamen prauitatem, quæ in iis per omnem vitam permanet, ac propter peccata infirmitatis istis necessitas imposita est, quotidie in poenitentia progrediendi, ut vires vitæ spiritualis, in primis fidei, augeantur, hæcque stabilis fiat atque ad mortem duret. Hæc est poenitentia, quæ in scriptura sacra regenitis diligenter commendatur, licet illius haud expressè mentio fiat. Spectant huc diuina effata, quibus a conuersis ad deum ἀγνισμός animarum isque continuandus atque augendus requiritur, quemadmodum Petrus dicit: τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες, ἀλλήλους ἀγαπήσατε, id est, *quando porro, uti cœpistis, vos puros reddideritis, amate vos inuicem*, 1 *epistol.* I, 22. d) Ioannes autem: καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ, ἀγνίζει ἑαυτόν, 1 *epist.* III, 3. quod iidem de progressu in animis purgandis intelligendum est. Loquitur enim de filiis dei: de iis, qui *spem habent in eo*: siue in christo, *spe nostra*, *Coloss.* I, 27, 1 *Timoth.* I, 1. quatenus est fundamentum spei hæcque fidei fructus. Eiusdem generis alia suppetunt testimonia, quale Paullus ita scriptum reliquit: *hec igitur habentes promissa, carissimi, purgemus nos ipsos ab omni et corporis et animi labe, sanctimonia persurgentes cum dei metu*, 2 *Corinth.* VII, 1. ubi etiam sermo est de spiritali purgatione, in conuersionis opere cœpta nuncque in sanctificatione per poenitentiam quotidianam

d) conf. IOACH. LANGIVM *exegef. epistolarum Petri* p. 123.

tidianam continuanda. Idem apostolus a regenitis postulat, vt *carnem vna cum libidinibus et cupiditatibus crucifigant, Gal. V, 23. necent membra terrestria, Coloss. III, 5. exuant veterem hominem atque induant nouum, Coloss. III, 10.* Quæ omnia vti poenitentiam quotidianam eiusque necessitatem haud obscure monstrant; ita eadẽ ex precibus piorum patet, quibus a deo veniam noxarum petunt; *psalm. XVIII, 13. XXV, 18. XXXII, 5. Matth. VI, 12. e)*

## §. XVII.

VTRAQUE poenitentia et lapsorum; et stantium communem habet naturam atque agnitione peccatorum, contritione ac fide in christum absoluitur; quum tamen ii, qui *stantes* vocantur, non ex malitia; sed infirmitate peccant: non solum ex lege; verum etiam ex euangelio dolorem accipiunt prætereaque fiduciam in meritis christi collocant, rationes hæ efficiunt, vt sit differentia inter lapsorum ac stantium poenitentiam, accidentalis quippe; non essentialis. Eam ob causam apostolicum effectum de tristitia diuina ad vtrumque poenitentium genus adhibere licet. Siue enim quis sit conuersus ad deum ac pius; siue minus, necessaria est tristitia cum contritione salutari, vbi poenitentia rite fieri debeat. Quod si spe-

## D 2

## ciatim

e) poenitentiam quotidianam oppugna-  
re ac rebus commentitiis adnumerare, si-  
bi sumit CHRISTAN. ille MELODIUS;  
sive, qui sub ficto hoc nomine latet:  
ADAM. BERNDIUS, in dem einfluss der  
göttlichen wahrheiten in den willen p.  
313, 615. seq. Refutatus est a VAL-  
ERNEST. LOESCHERO in der verrung

der ersten reformationswahrheiten wider die  
Melodischen einwürfe p. 9. sq. 10. GEORG.  
IOCHIO dissertatione de poenitentia rege-  
nitorum quotidiana, ab obiectionibus Me-  
lodianis vindicata, Vitenberg. MDCCC  
XXVIII. AVG. GLANAEO in der wi-  
derlegung des Melodischen buchs vom ein-  
fluss der wahrheiten in den willen, p. 232.

ciatim scire velis, ad qualem pœnitentium ordinem Corinthii referendi sint, ad quos Paullus scripsit, respondemus, spiritualem eorum statum diuersum fuisse. Alii passi fuerant, vt in peccata inciderent, quæ omnem in christum fidem tollunt, quemadmodum ex antea dictis colligendum est. Alii violauerant legem diuinam, non malitia; sed imbecillitate adducti; hanc autem ob rem nulla fidei iactura facta est, quamuis vires eius imminutas fuisse ac debilitatas, haud negandum sit. Quæ quum ita se habent; nec difficulter ex epistolis, a Paulo ad Corinthios exaratis, intelligenda sunt, verba eius de tristitia diuina ad vtriusque conditionis Corinthios; maxime tamen ad lapsos, spectare, existimamus.

## §. XVIII.

IN dicto, a nobis illustrato, Paullus contritionis; aut pœnitentiæ salutaris meminit, eamque fructum esse tristitiæ, pronuntiat, hocque occasionem nobis suppeditat, breuiter disputandum recte sentiant, qui aliam esse contritionem *legalem*; aliam *euangelicam*, tradunt; nec ne? Momentum quæstionis non in ipsa diuisione specierumque nominibus positum est; sed in ratione, qua distinctio hæc sumitur atque explicatur. Qui eam admittunt, theologi nostri non eodem modo istam interpretantur. Alii putant, contritionem esse *euangelicam* atque ita adpellari posse, non in se; sed propter fidem, quam contritio coniunctam sibi habeat quæque per verbum euangelii; non legis, efficiatur ac conferuetur; *legalem* autem, vbi contritio in se, in sua forma, hocque nomine sola ac sine fide consideretur. Ad modum hunc 10. GERHARDVS f)

rem

f) loc. theologic. loc. de pœnitentia §. 69.

rem explanat: *hoc sensu*, inquit, *et respectu euangelicam dici posse contritionem*, concedimus, *quia fidem, ex verbo euangelii accensam, coniunctam habet, per quam salutaris redditur*; addit autem: *iudicamus tamen, ab hac ἀνευλογία abstinendum esse*, cuius sententiæ, præter reliquos iam prætermittendos, etiam FRID. BALDVINVS g) ac CASP. ERASM. BROCHMANDVS b) sunt. Alii contritionem euangelicam dissimili explicant ratione, ac per illam intelligunt contritionem, quæ in se quidem ex lege originem trahat; in pœnitentia autem stantium per verbum euangelii maior reddatur ac grauior, nominatim PHIL. IACOB. SPENERVS i), IO. GVILIELM. BAIERYVS k); IO. FRANCISC. EVDDEVS l), IO. PHIL. TREVNERVS m), IOACH. IVST. BREITHAVPTIVS n), PAVLL. ANTONIVS o) atque alii. Quæ de euangelica contritione sententia licet a quibusdam factorum nostrorum doctoribus impugnata fuerit ac præcipue ad-

D 3 uer-

- g) *commentar. in epistolas Pauli p. 673. uers. p. 548.*  
 b) *systemat. theologic. rom. 11. p. 126. k) compendio theol. moral. part. 111. cap. 5. §. 5. p. 220.*  
 i) *in der evangelischen glaubenslehre* f. 5. p. 220.  
 l) *in der seligkeit der kinder gottes* p. 242. quam doctrinam ab aduersariis defendit libro inscripto: *aufrichtige übereinstimmung mit der augspurgischen confession* p. 251. et adpendice scripti: *gewissensrüge* contra Harneckenium, p. 47. ac pro se aliorum nostrorum theologorum testimonia adduxit: adde IOACH. LANGIVM *antibarbar. part. 111. p. 368.* et HENR. LYSIVM *synops. contro-*
- uerf. p. 548.  
 k) *compendio theol. moral. part. 111. cap. 5. §. 5. p. 220.*  
 l) *institut. theol. moral. part. 1. cap. 5. §. 6. p. 420. et institur. theolog. dogmar. libr. 1111. cap. 3. §. 40. p. 1258.*  
 m) *in primæ Augustan. quibus opposita est IVST. MEYERI defensio veræ doctrine de contritione ex sola lege, c110ccviii.*  
 n) *institut. theolog. rom. 1. p. 413. rom. 11. p. 107.*  
 o) *dissertat. de contritione salutar. p. 6. seq.*

uerfus SPENERVM multa disputata sint p); vbi tamen ea recte atque adcurate perspiciatur, videndum erit, illam a veritate haud discedere. Omnis contritio, eaque perfecta atque integra, ex lege oritur et vera esse potest, quamuis non sit salutaris, quia cognitione mali, de peccatis metuendi, excitatur; hæc autem ex lege tantum haurienda est illamque mentis adfectus, ad contritionem necessarij, sequuntur. Lex *penam parit, Rom. III, 15. damnat, 2 Corinth. III, 9. adnuntiat execrationem, Gal. III, 10. mortem, 2 Corinth. III, 6. profert, Ierem. XXIII, 29.* euangelium autem, proprie ita adpellatum, patefacit nobis gratiam dei, a christo recuperatam. Lex minatur ac terret: adcurat ac damnat; euangelium promittit, erigit, consolatur, absoluit ac tuetur. Siue igitur irrogeniti cuiusdam; siue regeniti animus ad contritionem adduci debeat, necessè est, vt hoc per legis vim fiat. Attamen si non essentiam; sed gradus contritionis respiciamus, illam in pœnitentia regenitorum per euangelium fieri posse maiorem, haud negandum esse, arbitramur. Qui enim fide christum amplexi sunt, illi deum, veluti patrem cœlestem, cuius gratia reconciliata est, amore prosequuntur, hicque amor non potest non contritionem augere, inprimis, quando in verbo euangelij contemplantur ipsius dei erga nos summam misericordiam, benignitatem ac clementiam: speciatim dulcissimi feruatoris nostri grauissimos cruciatus: contumeliosam ac cruentam mortem, quam pro nobis subiit, ac tot tantaque beneficia, spiritualia æque ac cœlestia, nobis adquisita.

Aliter

p) vide PRÆSIDIS *einleitung in die religionsstreitigkeiten der evangelisch-lutherischen kirche, part. II. p. 305. seq.*



Aliter res se habet in poenitentia lapsorum, ad quorum contritionem euangelium nihil adfert, quoniam illius promissiones ad irrogenitos, antequam ii ad fidem in christum peruenerint, haud pertinent.

## §. XVIII.

A VERA de contritione doctrina praefulis romani adflectae ita aberrant, vt grauiores tueantur errores, quumque illorum causa, praeter alia sacri codicis oracula, et id, quod illustrauimus, ad peruersum trahunt sensum, ab argumento nostro non plane alienum erit, si quaedam horum prauorum dogmatum, huc maxime referenda, breuiter perstringamus. Tradunt aduersarii hi itidem *contritionem euangelicam*; ea tamen ratione, vt illam non ad legem; sed ad euangelium pertinere, existiment. Id quod si satis ac rite quis adsequi velit, scire illum oportet, pontificios statuere, duplicem esse contritionem, late sic dictam: aliam *imperfectam*; aliam *perfectam*. Illam adpellant *attritionem*, quae sit dolor de peccatis, vel ex consideratione turpitudinis illorum; vel ex metu poenarum temporalium atque aeternarum conceptus; hanc autem *contritionem*, stricte sic vocatam, quae sit dolor de delictis, ex amore erga deum ortus. Quid vtraque valeat ad veniam noxarum ac gratiam dei impetrandam, de eo ipsi curiae romanae addicti inter se dissentiunt, quum alii existimant, attritionem sufficere omnino ad veniam peccatorum consequendam; alii contra negant hoc ac contritionem; siue perfectum dolorem, qui ex amore erga deum originem trahat, ad gratiam dei adipiscendam requirunt, vt

FRAN-



FRANCISCI PINTHEREAV *q*), SEBAST. DV PASQUIER *r*), IAC. BOILEAV *s*), IO. MORINI *t*), BALTHAS. FRANCOLINI *u*), CAROL. DE PISPORT *x*) atque aliorum *y*) scripta, partim pro attritione; partim pro contritione composita atque in lucem emissa, luculenter ostendunt. Fuerunt quoque, qui mediam veluti sententiam amplecterentur ac defenderent, per attritionem videlicet vna cum vsu sacramenti deum placari quidem posse; attritionis autem eam esse rationem, vt non sit talis, qualis feruorum; sed ex metu ac caritate composita, in quam opinionem ingressus est PETRVS LAMBERTVS LE DROV ac pro ea pugnauit *z*). Quum patres concilii Tridentini hac de re nullum decretum expressis ac perspicuis verbis

*q*) de attritionis sufficiencia in sacramento penitentiae, Paris. c1515cxiiii.

*r*) cuius exstat liber: *attrition suffisante pour la remission des peches dans le sacrement de penitence*, Lugdun. c1515c lxxxvii.

*s*) in libro: *de la contrition necessaire pour obtenir la remission des peches dans le sacrement de penitence*, Louan. c1515c lxxvi. 12. ac sapius adhuc edito; vberius autem rem persequitur in *disputatione de caritate ad obtinendam veniam peccatorum in sacramento penitentiae per contritionem necessaria*, Embrie. c1515c lxxxvi. 8.

*t*) libello de *contritione et attritione*, qui est in eiusdem *oper. posthumis*, Paris. c1515cciii. 4.

*u*) de dolore ad sacramentum penitentiae

*vite suscipiendum, necessario*, Rom. c1515ccvi.

*x*) *dissertatione*, satis copiosa, de dolore ad sacramentum baptisimi et penitentiae necessario, Fuld. c1515ccxxxviii. 4.

*y*) auctoris, cuius nomen in titulo omissum est, *dissertatio de contritione in sacramento penitentiae necessaria*, ad mentem Thomae veterumque Thomistarum, Paris. c1515cccvi. 8.

*z*) *dissertationibus quatuor de contritione et attritione*, primum Romae c1515cccvi. deinde Monachii c1515ccviii. 4. editis, contra quas quum AVGVSTINVS MICHEL pro attritione *discussionem theologicam iuris publici* fecisset, LE DROV causam suam in *confutatione discussionis theologicae August. Michel*, Patau. c1515ccxiii. 8. egit.

bis fecerint; sed more suo, vti de aliis dogmatibus; ita etiam de hoc flexiloquam atque ambigam declarauerint sententiam *a*), quid vere ab istis sancitum sit, de eo itidem disputarunt, præcipue IO. LAVNOIVS *b*) ac CHRIST. LVPVS *c*). De qua patrum Tridentinorum mente licet inter se discrepent; ex decreto tamen eorum quodam modo colligendum est, istos ab opinione de attritione non alienos fuisse. Dicunt enim, attritionem *donum dei esse et spiritus sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantum mouentis, quo penitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, et quamuis sine sacramento penitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad dei gratiam in sacramento penitentiae impetrandam disponit.*

## §. XX.

RO. consilio hæc enarrauimus, vt pateat, qualis sit contritio, quam pontificii adpellant *euangelicam* quamque etiam ex Pauli dicto de tristitia diuina probare, adnituntur. Est illa *contritio*, quam ab *attritione* distinguunt, dolor, vti opinantur, cum amore erga deum coniunctus ac virtute eius excitatus. Hanc non ex lege; sed ex euangelio oriri, putant. Expresse scribit RO. BELLARMINVS *d*): *contritio ad euangelium maxime pertinet*, ac, quibus-

*a*) session. XIII. cap. 14.

*b*) libro de mente concilii Tridentini circa contritionem et attritionem in sacramento penitentiae, Paris. MDCLIII. 8.

*c*) dissertatione de germano sensu sacro-

rum patrum, vniuersæ ecclesiæ et præsertim Tridentinæ synodi circa christianam contritionem et attritionem, Louan. MDCLXVI.

*d*) libr. II. de penitentia cap. 2.

bnsdam interpositis, addit: *si vlla ratio esset, cur contritio ad legem reicienda videretur, ea potissimum esset, quia proprium legis est ter- rere, vt euangelii est consolari. At iam ostendimus, contritionem non esse terrorem, a lege incussum. Et præterea neque illud est verum, euangelii propriam esse consolationem; non autem minas, siquidem euangelium vt mirifice consolatur obedientes et fideles; ita vehementer inobedientes et infideles exteret e). Alio loco f) dicit: terror ani- mo incussus a lege, quem lutherani contritionem; siue mortificationem adpellant, non recte inter partes penitentiae numeratur, hocque vt confirmet, ad Pauli effatum, quod explicauimus, prouocat de- notatque, Paullum terrorem a pœnitentia distinguere ac per tri- stitiam intelligi debere molestiam quamdam, timorem ac pudor- em, natum ex obiurgatione illa vehementi ac minis, quibus apo- stolus apud Corinthios vsus fuit. At vero BELLARMINVS mini- me causæ suæ consulit, dum Paullum, veluti testem, aduocat. Quæ enim hic detristitia deque contritione; aut pœnitentia enun- tiat, ea haud ad probandum valent, quia apostolus tristitiam di- scernit a contritione, non in se considerata; sed quatenus illa est salutaris, ex quo et sequitur, vt idem apostolus neutiquam innuat, euangelium, non legem, efficere contritionem, quemadmodum ex antea enarratis abunde patet. Immo res tam firma ac perspi- cua est, vt GVIL. ESTIVS g), quamuis cum Bellarmino commu- niã sacra habuerit, fateatur, apostolum non dicere, quod tristitia,*

que

e) de euangelio idem habet libr. IIII. de iustificacione cap. 2.

f) libr. 1. de penitentia cap. 19.

g) commentar. in 2 Corinth. VII, 10. p. 488. eius comment. in Paulli et alio- rum apostolorum epistolæ.

que secundum deum est, penitentiam operetur; sed quod operetur penitentiam in salutem, id est, efficiat penitentiam salutarem, velut si dicam, homo studiosus efficit hominem doctum et sobrius sanum. Ipsum pontificiorum errorem de contritione euangelica pluribus confutarunt: IO. GERHARDVS b), CASPAR. ERASM. BROCHMANNVS c), IO. ADAM. SCHERZERVVS k) atque alii.

## §. XXI.

PRAETER pontificios, antinomi prava dogmata de contritione euangelica disseminarunt, ii maxime, qui singulari ratione ac per eminentiam ita adpellati sunt. Quamvis enim omnes, quibus nomen *antinomorum*, late sumtum, recentiore ætate tributum est, de vsu legis eiusque ac euangelii differentia peruerse sentirent; de eo tamen inter se discrepabant: num lex plane nullam; aut quamdam adferat utilitatem. Igitur ex istorum ordine huc referendi sunt, qui adfirmabant, in cœtibus christianorum sanctioribus legem haud tractandam; nec impiis ac malitiosis hominibus adnuntiandam esse, qualem errorem IO. AGRICOLA in *positionibus inter fratres sparsis*, cum adfœclis suis tuebatur; fortiter autem ei LUTHERVS resistebat illumque *sex disputationibus* oppugnabat l). Hi omnem pœnitentiam ideoque etiam contritionem euangelio, imprimis illius oraculis de cruciatibus ac morte christi; nihil contra legi adscribebant. Ad quos et illi adiungendi sunt, qui con-

E. 2. cede-

b) loc. rheologic. loc. de penitentia §. 75.

seq. adde eiusdem *confession. catholic.*

libr. II. part. 3. *arric. 15. cap. 3. p. 1261.*

i) *Systemat. rheolog. tom. II. p. 126.*

k) *anti-Bellarm. p. 594.*

l) sunt hæ disputationes vna cum Agri-

cole *positionibus* in LUTHERI latinis ac

germanicis operibus.

cedebant, verbum legis peccatoribus proponendum esse, atque hac de re ab Agricola dissentiebant; nihilominus tamen cum isto stantiebant, euangelium, proprie sic dictum, concionem esse penitentiae, hocque nomine contritionem ad illud pertinere. Vtrosque de veritatis via deflexisse; nec speciatim de contritione evangelica recte sensisse, ex iis luculenter videndum est, quae antea a nobis de legis atque euangelii indole ac differentia disputata ac fatis confirmata sunt. Peruertunt veram *euangelii* notionem, ac quae legis sunt propria, ea euangelio tribuunt vtque falsae opinionis suae speciem conciliant, varia quidem scripturae sacrae testimonia pro ista adducunt, qualia sunt: *Luc.* XXIII, 46. 47. *Ioanni.* XVI, 8. *Marc.* XVI, 15. *Philipp.* II, 5. 12. *Roman.* III, 20. seq. *actor.* XIII, 38. seq. prae autem ista interpretantur ac violenter ad partes suas trahunt. Duobus memoratis antinomorum generibus tertium adnumeratum est, eorum quippe, qui docebant, legem omnino illis tradendam esse atque explicandam; qui, abiecta omni animae cura, impie agant, eum in finem, vt per illius vim incitati, de peccatis tristes fiant ac doleant; infitiabantur autem, istam regentis ac conuersis proponendam esse. Hi itidem *antinomi* appellati sunt; nec male, vbi nomen hoc latius sumatur ac lex ad eos, qui fide in christum praediti sunt, referatur. Superiori seculo princeps eorum fuit ANDREAS MVSCVLVS. Error ipse a maioribus nostris reiectus est *m*). Sed hos antinomos mittimus, quia ad argumentum, de quo exponimus, non pertinent. Iam dictis lucem adferunt: CONRAD. SCHLVSSELVVRGIVS *n*), IO. WIGANDVS

*m*) formul. concord. articul. vi. de ser-  
uio vsu legis divinae.

*n*) catalog. haereticor. libr. IIII.

DVS o), IO. MYSÆVS p), hisque addendi sunt: CASP. SAGITTARIVS q), VITVS LVDOV. A SECKENDORF r), IO. HOORNBEKIVS s) atque alii t). Nostra ætate Zinzendorffiani ad antinomose adiuverunt ac principem in illis locum sibi fecerunt. Inter falsa enim, absurda atque impia dogmata, in quibus disseminandis operam suam collocarunt, et hæc sunt: legem a christo esse abrogatam: eam impios a sceleribus ac flagitiis grauioribus deterrere quidem posse; ista autem ad poenitentiam ac conuersionem non opus esse: ad hanc neque agnitionem peccatorum; neque contritionem, ex lege haultam, requiri; sed sufficere, si quis ad christum accedat: vulnera eius, sanguinem ac mortem contempletur atque ex his, peccata sua agnoscendi, vim accipiat: per solum igitur euangelium; neutiquam per legem, hominem ad deum conuerti atque in eo effici poenitentiam: non legis; sed solius euangelii verbum conuertendis adnuntiandum esse. Quæ commenta profligata sunt a viris celeberrimis atque eruditissimis: CAROL. GOTTLOB. HOFFMANNO u), CHRISTIANO EBERHARDO WEISMANNO x), IOANN. FRIDERICO

E 3

BAHR

- o) de antinomia veteri et noua.  
 p) prælectionibus in epitom. formul. concord. p. 227.  
 q) introduct. in histor. ecclesiast. p. 837.  
 r) libr. 111. hister. lutheranismi §. 81. p. 306.  
 s) summ. controversiar. religion. libr. x. p. 800.  
 t) conf. IO. ALBERT. FABRICII censifol. lutheran. p. 280. 739.  
 u) in der anzeige der heernburbischen grundirrbücher in der lehre vom gesetze und euangelio.  
 x) comment. de superflua et noxia formula docendi de lege et euangelio, in ecclesijs uestris restituta, mutatione.

BAHRDTIO y), IO. IACOB. HEINOLDO z), IOANN. PHILIPP. MEHRLINGIO a).

## §. XXII.

NEC mentio omittenda est controuersiae de quaestione: num euangelium sit *concio penitentiae*? quum illa quodam modo cum argumento connexa est, in quo pertractando versatur, praecipue de contritione euangelica. Pontificios atque antinomos adfirmare hoc de euangelio, proprie ita adpellato, esse illud eiusmodi concionem penitentiae, vt virtute eius etiam contritio excitetur, antea a nobis relatum est. Praeter hos, seculo sexto ac decimo nonnulli doctores, qui nostram religionem profitebantur, eadem loquendi forma vsi sunt ac dixerunt, euangelium concionem esse penitentiae, et litis, inter nostros theologos de hac re ortae, occasionem dederunt. Princeps in istis fuit PHILIPPVS MELANCHTHON, qui in scriptis suis b) saepe de euangelio pronuntiauit, id arguere peccata: concionem esse ac praedicationem penitentiae; quum tamen hoc nonnullis displiceret, declarauit, se voci *euangelii* latiore significationem tribuere eamque de tota doctrina christi-

y) comment. de sapientissimo legis et euangelii nexu.

z) in der nörbigen verbindung des gesetzes vnd euangelii.

a) in dem beweis, daß der graf Zinzendorf in allen hauptartickeln der christlichen glaubenslehre höchst irrig sey, p. 416. adde IO. CHRIST. STEINBARTII scriptum: wie gesetz vnd euangelium zu un-

terscheiden vnd zu verbinden.

b) apolog. augustin. confession. articul. 11. de iustificatione: articul. v. de penitentia: augustin. confession. mutata artic. 1111. v. xx. repetition. confession. augustin. capite de penitentia: loc. communib. de euangelio; item commentar. in epistol. ad Roman. variis disputationibus atque aliis scriptis.



christiana sumere, istique in eo adquieuerunt, quamuis non desint, qui existimant, Melanchthonem antea recte sensisse de discrimine legis ac euangelii; postea autem ad modum antinomorum vtrumque dei verbum confudisse ac de euangelio, proprie sumto, statuisse, esse illud concionem poenitentiae c). Quaecumque mens: quodcumque consilium Melanchthonis hac in causa fuerit, id certum est, alios postea apertius significasse, se loqui de euangelio, stricte sic dicto, dum illud adpellauerint concionem poenitentiae. In horum numero est CASPAR. CRVCIGER iunior, qui scripsit d): *vult deus, in hoc ministerio omnes perterreseri praedicatione poenitentiae, arguentis cum cetera peccata, quae lex ostendit; tum hoc tristissimum peccatum, quod proprie patet in euangelio, scilicet ignorantiam et contemptum filii dei.* Consensit cum eo PAVLLVS CRELLIVS, utpote qui haec adfirmare, non dubitavit e): *magnitudinem offense et deformitatem peccati ostendit non sola lex; sed immediate euangelium ac paullo post: a solo euangelio quum peccatum hoc summum et praecipuum monstratur, arguatur ac damnetur, expresse ac nominatum solum etiam euangelium, vere ac proprie praedicatione ac vox est poenitentiae; siue conuersionis, vere et proprie ita dicta.* Praeter hos, in eundem errorem adducti sunt: CHRISTOPHORVS PEZELIUS atque alij, quibus nomen *cryptocaluinistarum* datum est f); hoc

c) maxime in augustana confessione mutata: in locorum communium postrema editione: repetitione augustan. confessionis.

d) disputatione de iustificatione, Vitemberg. CIOIO LXX. habita 11. def. 10.

e) dissertatione aduersus IO. WIGANDVM, iidem Vitemberg. CIOIO LXXI publice disquisitioni tradita.

f) conf. *endlicher bericht und erklärung der theologen beyder universitäten Leipzig*

hoc autem nomine peruersa ista opinio postea et aliis reformatis se commendauit. Quid de ipsa re controuersa iudicandum sit, ne uti aliis scripturæ sacræ testimoniis; ita et nostro effato praua sententia tribuatur, in expedito est ac breuiter definiri potest, præsertim quum illud iam dudum a nostris theologis abunde atque adcurate monstratum fuerit. Vbi enim quæritur: num euangelium sit concio pœnitentiæ; nec ne? pro diuersa ratione, qua voces *euangelium* et *pœnitentia* accipiuntur, id et adfirmare; et negare licet. Est euangelium concio pœnitentiæ, si per *euangelium* totam doctrinam, a christo atque apostolis propositam atque in libris noui fœderis traditam, ac per *pœnitentiam* totam hominis conuersionem intelligamus. Attamen et euangelium non est concio pœnitentiæ, quando sumimus stricte et *euangelium* pro doctrina de gratia diuina, a christo fundata, et *pœnitentiam* pro eius tantum parte, quæ est contritio. Vtroque modo voces hæ in scripturis sacris adhibentur speciatiimque vsurpatur in illis latiore sententia uocabulum *euangelium*, *Marc. I, 1. XVI, 15.* ubi christus dicit: *prædicare euangelium omnibus creatis*; quale autem euangelium significet, ex his eiusdem uerbis patet: ab apostolis *prædicanda est in nomine eius pœnitentia et uenia peccatorum*, *Luc. XXIII, 43.* angustiore contra vox *pœnitentia*, *Marc. I, 15. Luc. XXIII, 47. actor. XX, 21.* Eodem modo LUTHERVM de euangelio loquentum esse idque accepisse, scripta eius comprobant, in quibus adfirmauit, euangelium *arguere, increpare, minari, terrere: per illud patefieri iram*

*Lipzig und Wittenberg, auch der Superintendenten der kirchen in des churfürsten zu sachsen landen, cet. p. 183. sq.*

*iram dei.* Quum igitur dicendi forma, euangelium esse *concionem poenitentiae*: arguere peccata, auctoritatem præ se ferat, illa in se non reiicienda est; sed quia vocabulum *euangelii* duplicem significandi vim habet rectamque ac prauam admittit interpretationem, nomine hoc cum adprobari; tum damnari potest. Verum enim vero licet hoc ita se habeat; prudenter tamen agit, qui a loquendi ratione, euangelium esse concionem poenitentiae, se abstinet ac de eo, tamquam proprie sic dicto, loquitur, quum non solum significatio hæc in maiori vsu est; sed etiam magni refert, differentiam legis atque euangelii distincte atque adcurate monstrari. Idque est, quod maiores nostri g) requirunt scribuntque: *quare ne doctrina legis et euangelii denuo commisceatur et vni, quod alterius est, tribuatur, summo studio vera et propria differentia legis et euangelii retinenda atque urgenda est, eaque omnia, quæ nouæ confusioni inter legem et euangelium occasionem præbere possent, studiose cauenda atque vitanda sunt.* Talis enim confusio facile meritum et beneficia christi obscurare et euangelium in legem transformare posset, quod sub papatu accidisse videmus. Plura habentur apud LEONARD. HVTTERVM b), MARTIN. CHEMNITIVM i), IO. GERHARDVM k), CASP. ERASM. BROCHMANDVM l), IO. BENED. CARPZOVIVM m), IOANN. MVSÆVM n).

§. XXIII.

- g) *solid. declarat. formul. concord. artic.* p. 105. seq. v. p. 716.  
 h) *explication. libr. christianæ concordie* p. 461. seq.  
 i) *loc. theologic. part. 11. de iustificacion.* p. 208. seqq.  
 k) *loc. theolog. loc. de euangelio §. 105.* seq.  
 l) *Systemat. theolog. rom. 11. p. 83. seq.*  
 m) *isagog. in libros ecclesiar. lutheranar.* symbol. p. 224.  
 n) *pralectionib. in episomen formul. concord. p. 214.*

§. XXIII. *Quum* Paulus tristitiæ contritionem salutarem, tamquam effectum, adscribit ac vocem *κατεργαζεται* usurpat, ex testimonio hoc probandum esse, persuadent sibi pontificii, eam esse contritionis vim, ut apud deum, aliquo saltem modo, veniam peccatorum efficere possit. Hoc est erroneum dogma, quod isti tuentur ac quamvis nonnulli eorum doctores, (IO. CAPREOLVS o), DOMINICVS A SOTO p), putent, *actum penitentiae, ut etiam actum fidei et dilectionis, esse dispositionem ad remissionem peccatorum; sed non meritum, neque de condigno; neque de congruo remissionis peccatorum;* alii tamen contendunt, contritionem valere ad gratiam dei veniamque noxarum impetrandam, adeo, ut ROBERTVS BELLARMINVS q) expressè scribat: *catbolici communi consensu docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum, quod idem Tridentinum concilium docet r)*, ipseque defensionem erroris huius suscipiat ac postquam pro illo varia testimonia cum ex tabulis sacris; tum ingenii monumentis, quæ patres ordinis sacri reliquerunt, adduxit, his memoratis, subiiciat: *habemus igitur ex testimoniis veterum, contritionem; siue penitentiam vere causam esse iustificationis, quum peccata delet: illi satisfaciat: eius misericordiam impetret ac suo modo mereatur.* De merito quidem, quale cum contritione coniunctum sit, pontificii dissentiunt, quum alii, nominatim inter scholasticos LOMBARDVS, THOMAS, ALBERTVS, BONAVENTVRA, SCOTVS, DVRANDVS ac plerique recentiorum id esse *meritum de congruo*

o) secund. sentent. dist. 40.

p) libr. II. de natur. et graz. cap. 4.

q) libr. II. de penitent. cap. 12.

r) session. VI. cap. 6. session. XIII. cap. 4.

*congruo*; alii *meritum de condigno*, statuunt; de re ipsa autem eorum est consensus, contritionem esse causam ac meritum veniæ peccatorum. Quam falsa sit opinio hæc, quisque facile videt, qui, veritatis amans atque a partium studio alienus, rem expendit. Primum ipsius contritionis natura luculenter ostendit, illum in se, quatenus est sine fide, deum haud ad id commouere posse, vt condonet nobis peccata. Qui enim de noxis harumque poenis metuendis dolet ac tristis est cuiusque animus perturbatur, is quidem prodit, mutationem quamdam in propria mente factam esse; sed vti hæc nihil complectitur, quo iustitiæ diuinæ satisfieri ac læsio dei vna cum istius ira tolli queat; ita nemo restituendus est in pristinam dei gratiam sine satisfactione, quamvis non propria; christi tamen, propter fidem nobis imputata, quia et iustitia et gratia ad essentiam dei pertinent atque vtriusque eadem est perfectio; nec altera alteri cedit. Deinde pontificii tradunt, quæ scripturæ sacræ aperte aduersantur. Ibi diuina auctoritate testatum habemus, neminem deo placere posse sine fide, *ebv. XI, 6.* deum ad peccatorum veniam; siue iustificationem, adduci per suam gratiam ac misericordiam, *Rom. III, 24. Ephes. II, 5. 8. 9.* per meritum christi, *Rom. III, 25. V, 18. 19. 2 Corinth. V, 21.* perque fidem in illum, *actor. X, 43. Rom. III, 22. 25. 26. III, 5. V, 1. X, 4.* ac multis aliis locis. Nec est, quod aduersarii argumentum sumant ex Pauli dicto de tristitia diuina. Quamvis enim verbo *ναρηγδ* vtatur; illud tamen non de causâ efficiente; sed de instrumento; aut occasione intelligendum esse, antea denotauius, quia alias apostolus ipse sibi contradixisset atque enuntiaffet


tiaffet quid, tristitiæ ac contritionis naturæ plane contrarium. Videantur præter alios, HENR. HOEFFNERVS J), MART. CHEM-NITIVS †), IO. GERHARDVS 4), ABR. CALOVIVS x), ANTON. REISERVS y), PETR. MOLINAEVS z).

s) *disputationib. de iustificacione hominis peccatoris coram deo* p. 1029. x) *systemat. locor, theologicor. tom. x.* p. 435.

t) *examini. concil. Tridentin.* p. 528. y) *in Augustino, veritatis euangelico-ca-*

u) *confession. catholic. libr. 11. part. 3.* z) *de penitentia et clauibus,* p. 42.

rricul. 16. cap. 3. p. 1262. seq.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
IOANNI IMMAN. SCHAEFFERO

S. P. D.

IOANN. GEORG. WALCHIVS.

**N**ouam tibi lauream paras ac, quas multo cum plausu; neque parua doctrinae tuae laude in philosophorum arena adhuc cognitas fecisti ingenii vires, easdem et in theologorum rostris publice non sine magna omnium, qui tibi bene cupiunt, laetitia praecclare ostendes. Neque vero non optatissimum huius, quam meditaris, litteratae pugnae exitum tibi possum promittere atque in spem venire, fore, ut tuam dissertationem contra dissentientes eorumque tela docte et grauitur defendas. Omni enim tempore, ex quo in hac liberalium artium sede es versatus, litteris animum tuum consecrasti ac laudabili exemplo enisus es, ut cum ex praceptorum tuorum scholis; tum ex studiosa vtilissimorum librorum lectione optimas eruditionis opes tibi colligeres. Ad hanc diligentiam accedunt in te alia, quae tuum ad futuram in patria felicitatem iter reddunt facillimum atque expeditissimum. Praeter enim bonam, quae te natura instruxit, indolem et praecclaras mentis dotes, in eo quoque operam tuam collocasti, ut a morum probitate te commendares virtutisque studium cum industria atque in sanctoribus disciplinis proficiendi ardore vinculo arctissimo coniungeres. Habeo igitur, cur tibi; cur patriae; cur ciuitati christianae gratuler atque tam huic; quam illi multos, ex te fructus pollicear. Seruet te numen supremum omni tempore saluum atque incolumem et, ad paternos lares delato, tibi amplissima diligentiae tuae academicae praemia et, quaecumque ad veram animae ac corporis salutem pertinent, velut ex perenni fonte largiatur. Ienae d. xi. iul. c. 1700.

F 3

VIRO



VIRO  
NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
IOANNI IMMAN. SCHAEFFERO

S. P. D.

IO. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS

**I**ta certe TE, VIR NOBILISSIME, in nostra academia geris, vt  
grauissimas prae me habere mihi videar causas, TIBI de ma-  
gnis laudum TVARVM, quas facis, accessionibus deque praecela-  
ris illis, quibus omnium in TE conuertis oculos, ornamentis;  
patriae vero dulcissimae de tantae spei ciue sincera mente gratulan-  
di et huic ex TE tot eruditionis fructus; quot TIBI ex illa felicitatis  
genera virtutisque praemia augurandi. Saepius iam cum priuatim;  
tum publice meis auspiciis vires TVAS es periclitatus, et ita qui-  
dem, vt, qui TE disputantem audiuerunt, omnes TVI ingenii praestantiam  
pariter ac doctrinam TVAM admirarentur multique essent, qui TVO  
exemplo ad parem in litteris proficiendi ardorem mirifice se excitatos  
atque inflammatos esse, haud obscure declararent. Gratulor vero simul  
TIBI ex animo de hoc egregio, quod edis, eruditionis TVAE documento  
TEQUE gratiae diuinae supplex commendo atque, vt me semper TVI  
amantissimum et ad officia quaeris paratissimum fore, credas, omni,  
qua possum, contentione oro ac rogo. Vale et me, vt amas, ama. Ienae, d. XIII. iul.  
CICID CCLV.

VIRO





## VIRO

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE AMICO SVO  
CARISSIMO

IOANNI EMANVELI SCHAEFFERO

S. P. D.

IOANNES HENRICVS BÜTTNER RATISP.

MED. IN. ACADEM. GEORGIA AVGVSTA P.DUS.

Officia, quæ TVAE firmæ omnibusque blanditiis et fucō orbatæ debeo amicitiae, læderem, nisi solertiam TVAM summis, quibus decet, laudibus efferrem. Nam non vinculum solum amicitiae, quō tam arcte stricteque coniungimur; sed ingenii TVI dotes atque vires thura dare a me postulant. Sæpius optavi, TE Ienæ conuenire, et contigit quoque mihi. Quum nam Gœttinga discederem, Musarum TVARVM sedem petii, obstupuique, TE tantos in TVO litterarum genere fecisse progressus. Vidi soliditatem, perspexi ingenii TVI aciem, expertusque in disputando modestiam. Offers litterarum iterum orbi specimen, quod semper ab ingenii TVI perspicacia expectari potuit, et de quo TIBI gratulor, vt etiam ex arena et certamine superior sis euasurus. Quod reliquum est, opto, vt felix et faustus sis, omnique parte beatus; i bonis auibus, accipias patris TVI gratulationes cupidine TE videndi flagrantis audiasque eximios plausus omnium amicorum TVORVM civiumque. Vale amice optime: Hygea Georgiæ Augustæ offert mihi summos in arte salutari honores, quos accipere gratum acceptumque semper mihi erit. Vale iterim et perge me amare. Scribebam Ienæ XII. Iulii A. O. R. C. MDCCCLV.

VIRO



VIRO

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

IOANNI EMANVELI SCHAEFFERO

AMICO INTIMO CONTVBERNALI

HONORATISSIMO

S. P. D.

IOANNES SEILERSV BYRVTH.

**L**itteris omne tempus danti omnino laudi ducitur, si non solum in arenam descendit, veritates defendendi; sed et inveniendi causa. Non prima vice, CONTVBERNALIS HONORATISSIME, in locis publicis vices Respondentis magna cum laude suscepisti, quod omnibus in nostra splendidissima Musarum sede ad studia incumbentibus est notum. Quam ob causam etiam sub Præsidio Viri summe Venerabilis WALCHII, hospitis nostri olim summo opere suscipiendi, dissertationem TVAM tueberis doctissimam aduersus pugnantes TEcum, quos TIBI elegisti amicos. Video itaque Ratisponam, ciuitatem vetustate famaue conditorum inclytam, latantem: video patrem filii tantæ spei charissimum solatium vnicum accipientem; imo video Ciues in sinu gaudentes, aduentum TVVM sibi metipsis gratissimum optatissimumque expectantes. Ideoque felicem successum sperans a TVA parte credo, TE applausum victoriamque cum omni laude reportaturum, quod TIBI in antecessum gratulari haud dabit. Quod superest, summum ac præpotens Nomen, quod TE a teneris vnguisulis ad tempus vsque conseruauit quam elementissime, largiatur TIBI omnia ad vitam sustentandam felicem pertinentia, efficiatque, vt semper sis saluus incolamisque quam diutissime. In posterum TVO fauori, amoris amicitiaque de meliori me commendo. Dabam Ienæ ip[s]is Calendis Augusti anno Christi seruatoris nostri

CIS MDCC LV.



99 A 6970

ULB Halle

3

002 824 85X



Retro ✓







DISSERTATIO  
DE  
TRISTITIA  
POENITENTIVM DIVINA  
II CORINTH. VII. 9. IO.

QVAM  
PRAESIDE  
IO. GEORGIO WALCHIO

THEOL. DOCTOR. ET PROFESS. PRIMARIO SERENISSIMOR. SAXON  
DVCVM ET MARGGRAV. BRANDENBURG. ONOLD. A CONSIL. ECCLES.  
ET CONSISTOR. CONCIL. ARCTIORIS ADSESSOR CIVIVM IN HAC  
ACADEMIA MEINVNG. GOTHANOR. ALTENBURG. ET ONOLDIN. IN-  
SPECTORE ACADEMIAE ET ORDINIS THEOLOGORVM SENIORE  
H. T. DECANO.

D. 2. AVGVST. MDCCCIV.

AD PVBLICAM ERVDITORVM DISQVIVISIONEM EXHIBET

AVCTOR  
IOANN. IMMANVEL SCHAEFFERVS

RATISPONENSIS  
SANCTIORVM LITTERARVM CVLTOR.



IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.